Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 209
Quelle:
Copyright:

lectorum Psalmorum Honorii e Codice dictae Carthusiae ediderit, credibile fit, Exemplar nostrum Codicis istius Απογραφον esse. Plures alios Codices excitat *Pezius Dissert. Isag.* ad h. T. p. 90. Idem praeter *Psalmos selectos* I. (non X. ut habet *Fabric. Bibl. med. Lat.* edit. *Mans.* L. VIII. p. 279.) L. LI. C. CI. CL. etiam *Prologum* Operis protulit, in quo *Gallicum*, non *Romanum Psalterium* se explanare ait *Honorius*, qui, ut nobis, incipit: *Cristiano patri verbo et exemplo relucenti vt speculum* &c. *Cunonem* pro *Cristiano* habet, teste *Pezio*, Codex *Mellic.* Sec. XIII. Nos de Parte Operis egimus etiam *Vol. I. P. I. col.* 209.

CXXXVII.

U. 47 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 366. f. per duas columnas diligenter scriptus et rubricis distinctus in folio praevio hanc Notam habet: *Hunc librum pro collegio ducali dedit honorabilis vir dominus Jeronimus de Judenburga hac sub conditione ut prius soluieretur vna libra denariorum que etiam soluta est Anno domini* 1458. Nihil de hoc Viro in Scriptoribus nostris Academicis. Codex porro ipse continet *Postillas in Psalterium Nicolai* a loco natali, vel stirpe sua *de Gorran*, non *Angli*, vel *Flandri*, ut quibusdam visum, sed *Galli*, ut docent de Sodali suo *Scriptores Ord. Praed.* T. I. p. 437. qui circa an. 1295. obiisse ibidem refertur. Praefatio ita ordditur: *Laudationem domini loquetur os meum* &c. Psalmus I. *Beatus vir qui non habijt. Secundum glossam probemialem totus liber iste psalmorum in tres partes diuiditur* &c. Finis vasti Operis: *nec dormire poterit nec lassari ad quam patriam nos perducat ille qui viuit et regnat* &c. Typis nunquam subjectum est; Exempla tamen *mss.* cum in *Scriptt. cit.* tum in *Tanneri Biblioth. Brit. Hib.* liberaliter indicantur. Nostro adjacet ejusmodi Επιφωνημα: *Suffragante diuino auxilio eiusque immensa benignitate. nec non gloriose virginis marie cum omnibus sanctis et electis dei. completa sunt hec dicta venerabilis doctoris gorre super psalmos ter quinquagenos Dauid regis sub anno incarnacionis domini nostri ihesu christi 1390. currente II. die mensis Octobris siue proxima feria quinta ante festum galli confessoris hora diei 22. et hoc prage.* Quibus addidit manus Sec. XV. Anno 1469. *fridericus 3º Romanorum Imperator fuit rome cum alias semper esset in stiria in forma tamen peregrini. Eo tempore quidam de suis sibi rebelles facti pemkchiricher* (Andr. Paumkircher) *et quidam* (Johan.) *de Stubenberg cum aliis complicibus* (Joh. de Pössing, Nic. de Liechtenstein, Andr. de Greissenegg) *Marpurk, ubi iudeos miserabiliter pressi sunt, Judenburkch et certas alias ciuitates de mane nullo sciente in festo purificationis beate virginis marie obtinuerunt falso et domino absente. Tunc temporis Rex mathias vngarorum contra hereticum*